

cies & Individuum Speciei ad idem perti-
nent Prædicamentum. Ergò & Individu-
um substantiæ est substantia.

§. 9. Nec est, quod ad autoritatem
Porphyrii provocent, qui *individuum per
collectionem accidentium* definitivisse videtur.
Etenim ille *definitionem suam pro essentiati*
non vendicat, sed *pro qualicumque descri-
ptione.*

§. 10. Alii, præprimis nonnulli Scoti-
stæ, statuere, principium Individuationis esse
differentiam singularem formaliter ex natu-
rà rei à communi naturâ distinctam, quam
barbarò vocabulò *Hæcitatem* appellarunt.
Verùm Differentia illa singularis non est
principium Physicum, de quo jam solliciti
sumus, sed Metaphysicum. Accedit huc,
quod Differentia singularis à naturâ com-
muni ex parte rei non distingvatur.

§. 11. Scotus *II. sent. dist. III. qu. III.*
refert quosdam confugientes ad existentiam
& per eam naturas communes fieri singulares
statu-